

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Spiritus sanctus t
cum fonte primo

O quam uelox est sermo sapiencie
et ubi Deus magister est, cito
discitur quod docetur!
Non est adhibita increpatio ad
audiendum, non consuetudo ad usum,
non tempus ad studium, sed spirante ubi
uoluit spiritu ueritatis,
proprie singularum gencium uoces
facte sunt in ecclesie ore communes.
Ab hoc igitur die tuba euangelice
predicationis intonuit, ab hoc die
ymbres karismatum, flumina
benedictionum, omne desertum et
uniuersam aridam rigauerunt.

Leo papa in sermone de Pentecostes.

O quam uelox est sermo sapientiae,
et ubi Deus magister est, quam cito
discitur quod docetur!
Non est adhibita interpretatio ad
audiendum, non consuetudo ad usum,
non tempus ad studium, sed spirante ubi
uoluit Spiritu ueritatis (cf. Ioh. 3:8),
propriae singularum gentium uoces
factae sunt in Ecclesiae ore communes.
Ab hoc igitur die tuba euangelicae
praedicationis intonuit, ab hoc die
imbres charismatum, flumina
benedictionum, omne desertum et
uniuersam aridam rigauerunt,
quoniam ad *renouandam faciem terrae*,
Spiritus Dei ferebatur super aquas, et ad
ueteres tenebras abigendas, nouae lucis
fulgura coruscabant, cum micantium
splendore linguarum uerbum Domini
lucidum et *eloquium* conciperetur
ignitum, cui ad creandum intellectum
consumendumque peccatum, et efficacia
inluminandi, et uis inesset urendi.

Leo Magnus, *Tractatus septem et nonaginta*, 75, 2 (CCSL 138A, A.
Chavasse ed., pp.466-7, ll.26-40).